

60. *Auditus enim iste, Medij, organi, sive instrumenti divinitus ordinati rationem habet. Ita namque DEO visum est, per verbum predicatum & auditum operari fidem: & hac sua ordinatione omne nostrum studium & conatum audiendi, antevertit DEVS: non modo generali ista ratione, quod aurem ipse plantavit, & facultatem audiendi contulit Exod. 4. 11. Psal. 94. 9. Sed & speciali illa, quod audire verbum Dei possemus nunquam, nisi Deus sua gratia antecedens, id verbum nobis immensa bonitate manifestasset: nisi etiam DEVS gratiam suam in eo obtulisset, priusquam audiremus: &c.*

61. *Vnde consequens: auditum non per se, sed ex ordinatione & instituto DEI, fidei conferenda esse organum: ac proinde omnem respectum operis operati, sive meriti congrui modis omnibus exprare.*

62. *Quare, ut rem explicatius proponamus, Quando Spiritus Sanctus per auditum istum externum dicitur esse efficax ad conversionem hominis: non statuitur principium conversionis Auditus noster: sed res illa duntaxat exprimitur, quam sequitur conversio.*

63. *Distinguendum igitur accuratissime inter causam & ordinem rei. Ordo enim hic tantum notatur, non causa rei: neque terminus ex quo fiat conversio: sed à quo fiat, exprimitur.*